



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Vita Et Epistola Ioannis Papae XIX. Vvlgō XXI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

IOANNIS PAPÆ XIX. VITA. 603

statum tutiorem & tranquillio- rem reddere, & Gregorii constitutionem de eligendo pontifice in meliorem formam redigere, ille quidem apud se proposuerat, verum eius conatibus & animi magnitudini mors obstitit.



VITA ET EPISTOLA

IOANNIS PAPÆ XIX.

VVLGO XXI.

ANNO  
CHRISTI  
1276.

**I**OANNES, huius nominis decimus nonus, antea Petrus Hispanus vocatus, patria Vlyssipponensis, professione medicus, ex episcopo Tusculano ad supremam ecclesie dignitatem euectus est Viterbii xv. Septembris anno Domini 1276. Palæologum, quem ad Romanæ fidei professionem, prout in Concilio Lugdunensi promiserat, edendam induxit: hunc simul & reges orientales admonuit, vt arma pro defensione fidei susciperent. In eo laudem singularem meritis est, quod pauperes studiosos facultatibus & beneficiis iuuerit: librosque de medica, aliaque de arte logica opuscula composuerit, e quibus, teste Trithemio in chronico Hirsaugiensi, summula quædam extat, quam Thesaurum pauperum appellant, medicinæ non inutilis. Siffridus lib. 2. epitomes suæ scribit de hoc pontifice, quem Ioannem XVIII. perperam nominat, quod dum quendam librum (vt dicebatur) hæreticum & peruersum dictaret, subito domus, in qua sedebat, super eum corruerit, eumque intantum concusserit, vt infra spatium quinque dierum miserabiliter moreretur, replicans sæpius hæc verba: Quid fiet de libello meo? Quis complebit libellum meum? Quæ per rumorem accepta, si vera sunt, magnam Dei prouidentiam, qua suam ille gubernat ecclesiam, mirabiliter ostendunt. Idque accidit, cum pontificatum octo mensibus, & aliquot diebus tenuisset.

Concil. Tom. 28.

Gggg ij



EPISTOLA  
 IOANNIS PAPÆ XIX.  
 AD EDVARDVM I. REGEM ANGLIÆ.

De non grauanda Hibernia.

*Ioannes episcopus seruus seruorum Dei carissimo in Christo  
 filio Eduardo illustri Angliæ regi salutem  
 & æternam benedictionem.*

**P**ATERNVM amorem ad tuæ celsitudinis incrementa, fili carissime, gerimus; dum te ad ea, quæ iusto placet iudici, tui regni, terrarum & subditorum tuorum sint opportuna quieti, & famæ tuæ pariter & honori prospiciant, sollicitis hortationibus inuitamus. Propter quod in iis persuasiones nostras deuota debes mente suscipere, & ad executionem illarum te paratum & flexibilem exhibere. Ecce, fili, quasdam accepimus literas directas pridem per Hibernicos magnates & populum, dilectis filiis nostris Anselmo, tituli sanctorum Marcellini & Petri presbytero, & Lucæ sanctæ Mariæ in Via lata diacono, cardinalibus, apostolicæ sedis nuntiis, & per eos nobis suis interclusas literas destinatas: in quarum serie vidimus inter cetera contineri, quod cum felicitis recordationis Hadrianus papa prædecessor noster sub certis modo & forma distinctis apertius apostolicis literis, inde factis claræ memoriæ Henrico regi Angliæ, progenitori tuo dominium Hiberniæ concessisset, ipse rex ac successores ipsius reges Angliæ vsque ad hæc tempora modum & formam huiusmodi non seruantes, quinimo eos transgredientes, indebite afflictionibus & grauaminibus inauditis importabilium seruitutum ipsos diutius oppresserunt. Nec fuit hæctenus qui reuocaret illata grauamina, aut errata corrigeret, non fuit quem pia compassio super eorum contritione moueret; quamuis super his ad te recursus habitus fuerit, & clamor validus oppressorum aures tuas quandocumque pulsauerit: vnde talia ferre nequeunt, vltius coacti sunt se a dominio tuo subducere, & alium in suum regimen aduocare. Hæc, di-



lectissime fili, si veritate nitantur, tanto nimirum infectio-  
 ra nostris accedunt affectibus, quanto desideramus inten-  
 tius vt tibi prospere cuncta cedant. Circa illa versari se-  
 dulo debes, eaque promptis affectibus exequi, quæ tuo  
 sint placita Creatori, & ab omnibus abstinere solicite,  
 per quæ contra te debeat prouocari ipse Deus ac Domi-  
 nus vltionum, qui gemitus afflictorum iniuste minime de-  
 spicit, & qui propter iniustitias peculiarem suam deie-  
 cisse describitur populum, & translationem fecisse regno-  
 rum. Quanto etiam desiderabilius, iis præsertim impaca-  
 tistemporibus, cupimus te illis libenter intendere, per  
 quæ suorum corda fidelium ad tuam beneuolentiam &  
 obedientiam debeant allici, & illa prorsus vitare, quibus  
 valeant a tuæ cultu deuotionis auelli. Quia itaque, fili,  
 tua non modicum interest huius nouæ mutationis vitare  
 dispendium, quamplurimumque expedit vt hæc non  
 negligentur turbationis initia, ne, illis periculose crescen-  
 tibus, sero medicinæ remedia præparentur, excellentiam  
 regiam sollicitamus attente præsentibus, sano nihilo minus  
 consilio suadentes, quatenus hæc prudenti meditatione  
 considerans, & cum suo discreto consilio conferens, super  
 illis circa præmissorum grauaminum correctionem & re-  
 formationem debitam & festinam viis & modis decenti-  
 bus sic sufficienter prouideri mandes, & facias, sic discrimi-  
 nosis principiis in hac parte obstare procures, quod &  
 illi, per quem regnas, placere valeas, & te in iis efficaciter  
 implente quod debes, cuiusuis aduersum te iustæ querelæ  
 materia conquiescat. Per quod iidem Hibernici saniori  
 ducti consilio tibi vt domino parent, aut si, quod absit, in  
 inepta rebellionem manere voluerint, causam suam in aper-  
 tam iniustitiam, te apud Deum & homines excusato, con-  
 uertant. Vt autem de prædictis grauaminibus & querelis,  
 quibus prædicti innituntur Hibernici, tuis sensibus inno-  
 rescat ad plenum, antedictas literas missas cardinalibus an-  
 tediectis, cum forma literarum, quas prædictus Hadrianus  
 prædecessor noster eidem Henrico regi Angliæ de terra  
 Hiberniæ concessit, tuæ magnitudini mittimus præsentibus  
 inclusas. Datum, &c.